# Badische Landesbibliothek Karlsruhe

## Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe


# Tractatus de decem praeceptis - Cod. Aug. pap. 51


**Henricus <de Frimaria>**



**[Reichenau], [14. Jahrh.]**


De quator spiritalibus gradibus lege eos attente


urn:nbn:de:bsz:31-87058



Visual Library

possessionis debebatur ei racione profundis
minoris qua habuit vite funditus super
omnes viatores mortua fuit et vita
peccati extincti fomite irresuscitabili-
ter mortua fuit propter quod vita eius cum
Christo in deo fuit abscondita semper et
curie angelice precellens intra sanc-
tuarium dei habitavit Modus autem
cognoscendi non semper fuit per modum
abstraccionis vel stuporis vel extasis
vel soporis hec enim contingunt propter
excellenciam et improporcionabilitatem
lucis ad intellectum illuminabilem et ut
patet per simile in luce corporali in transfi-
guracione domini qui ostendit eis claritatem
simillimam claritati glorie dicitur enim quod
petrus et qui cum eo erant gravati
erant sompno ita ut videre non pos-
sent unde dominus petrus dixit bonum
est nos hic esse nesciens quid diceret
Stupor enim circumdederat eum Sic
in lumine spirituali unde paulus excellen-
cioni visione stupescens dicit utrum
in corpore vel extra corpus nescio deus
scit hunc autem stuporem beatissima vir-
go non habuit cuius intellectus deiformi-
or et illi luci proporcionabilior fuit
unde sicut eadem lux que est egris
oculis odiosa sanis oculis est amabilis
et sicut per eandem lucem clari oculi per-
fectius vident et sine perturbacione
Egri autem minus perfecte et cum perturba-
cione ita lux spiritualis que oculis
pauli fuit improporcionabilis ideo
raptum fecit cum stupore talis lux
oculis beatissime virginis fuit pro-
porcionabilis sine stupore cum delec-
tacione et hoc debebatur ei racione

puritatis et mundicie qua super
paulum et omnes viatores mira-
bat improporcionabiliter et excel-
lenter

## De quatuor spiritalibus gradibus lege eos attente

Cum die quadam corporali manuum
labore occupatus de spiritua-
lis hominis exercicio cogitare ce-
pissem quatuor spirituales gradus
animo cogitanti se subito ob-
tulerunt scilicet leccio meditacio
oracio et contemplacio hec est scala
claustralium qua de terra in celum
sublevantur gradibus quidem distinctis
paucis immensa tamen et incredibilis
magnitudinis cuius tamen extrema
pars innixa est superior vero
nubes penetrat et secreta
celorum rimatur Hii gradus sic
nominibus et numero sunt diversi
in ordine et merito sunt di-
stincti quorum proprietates et offi-
cia quid singula circa nos effi-
ciant quomodo inter se dif-
ferant et preemineant Si quis
diligenter inspiciat quicquid labo-
ris et studii impenderit in eis
breve reputabit et facile pre
utilitatis et dulcedinis magni-
tudine Est autem leccio sedula
cum intencione animi scripturarum
inspeccio Meditacio est studio-
sa et pura mentis accio occulte
veritatis noticiam ductu proprie racio-
nis investigans Oracio est devota
cordis intencio pro bonis adipi-

secundis et malis amovendis. Contemplacio est mentis in deum suspense quedam elevacio eterne dulcedinis gaudia degustantis. Beate vite dulcedinem leccio inquirit, meditacio invenit, oracio postulat, contemplacio degustat. Unde inquit dominus: querite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Querite legendo et invenietis meditando, pulsate orando et aperietur vobis contemplando. Leccio quasi solidum cibum ori apponit, meditacio masticat et frangit, oracio saporem acquirit, contemplacio est ipsa dulcedo que iocundat et reficit. Leccio in cortice, meditacio in adipe, oracio in desiderii postulacione, contemplacio in adepte dulcedinis delectacione. Leccio enim quasi fundamentum primo occurrit, deinde mittit nos ad meditacionem. Meditacio vero quid appetendum sit diligenter inquirit et quasi effodiens thesaurum invenit et ostendit, sed cum per se obtinere non valet mittit nos ad oracionem. Oracio se totis viribus ad deum erigens impetrat thesaurum desiderabilem contemplacionis suavitatem. Hec autem adveniens predictorum trium laborem remunerat dum celestis rore dulcedinis animam sicientem inebriat. Leccio ergo est secundum exterius exercicium, meditacio secundum interiorem intellectum, oracio secundum desiderium, contemplacio super omnem substanciam. Primus gradus est incipiencium, secundus proficiencium, tercius devotorum, quartus beatorum. Hii gradus ita cathenati sunt et vicaria ope sibi invicem de-

serviunt quod precedentes sine subsequentibus parum aut nil prosunt, sequentes vero sine precedentibus aut raro aut numquam haberi possunt. Quid enim prodest leccione continua tempus occupare, sanctorum gesta et scripta legendo transcurrere, nisi ea masticando et ruminando succum eliciamus et transglutiendo usque ad cordis intima transmittamus, ut ex his diligenter consideremus statum nostrum et studeamus eorum opera agere quorum facta cupimus scitare. Sed quomodo hec cogitare aut unde cavere poterimus ne falsa aut inania meditacio limites a sanctis patribus constitutos transcendamus, nisi prius circa huiusmodi aut ex leccione aut ex auditu fuerimus instructi. Auditus enim quodammodo pertinet ad leccionem. Unde et solemus dicere non solum libros illos nos legisse quos nobis ipsis vel aliis legimus sed illos quos a magistris audivimus. Item quid prodest homini si per meditacionem que agenda sunt videat nisi oracionis auxilio et dei gracia ad ea obtinenda convalescat. Omne namque datum optimum et omne donum perfectum desursum descendens a patre luminum sine quo nil possumus facere, sed ipse facit in nobis opera non tamen omnino sine nobis. Cooperatores enim dei sumus ut dicit apostolus. Vult namque deus ut ipsum oremus, vult ut gracie advenienti et pulsanti ad ostium aperiamus sinum voluntatis nostre et ei consenciamus. Hunc

consensu requirebat a samaritana
qui dicebat voca virum tuum quod volo
tibi infundere graciam tu applica libe
rum arbitrium oracione exigebat ab ea
cum diceret Si sciret donum dei et quis
est qui dicit da mihi bibere tu forsitan
petisses ab eo et dedisset tibi aquam
vivam hoc audito quasi mulier ex
leccione instructa meditata est in
corde suo bonum sibi fore et utile habere
hanc aquam accensa ergo habendi de
siderio conuersa est ad oracionem dicens
domine da mihi hanc aquam Ecce
auditus verbi et sequens super eo medi
tando incitauerat eam ad orandum
Quomodo namque esset sollicita impo
stulando nisi prius eam accendisset
meditacio aut quid ei precedens medi
tacio contulisset nisi eam que pete
bat sequens oracio impetrasset Ad hoc
ergo ut fructuosa sit meditacio
oportet ut sequatur oracionis deuocio
cuius effectus est contemplacionis
dulcedo Ex hiis colligere possumus
Leccio sine meditacione est arida
Meditacio sine leccione est erronea
Oracio sine meditacione est tepida Medi
tacio sine oracione est infructuosa
oracio cum deuocione est contemplacionis
acquisitiua Contemplacionis
adepcio sine oracione aut rara aut
miraculosa Deus enim cuius potencie
non est numerus et cuius misericordia super
omnia opera eius quandoque de lapidibus
suscitat filios abrahe dum duros
et nolentes acquiescere cogit ut
velint et tamquam prodigus ut vulgo
solet dici bouem cornu tribuit quando
non vocatus se ingerit quando non

quesitus se infundit quod et si quandoque ali
quibus legimus contigisse ut paulo et aliis
quibuscumque non ideo tamen nos quasi deum
temptando debemus talia presumere
sed facere quod ad nos pertinet legere
et meditari in lege dei orare ipsum
ut adiuvet infirmitatem nostram
ut videat imperfectionem nostram quod ipse
docet nos facere dicens petite
et accipietis nonne regnum celorum
vim patitur et violenti rapiunt illud
Ecce assignatis distinccionibus patent
horum graduum et proprietates Gradus
autem qui ceteris vacuus in hiis
conuersari desiderat qui ceteris
venditis emit agrum in quo latet
thesaurus desiderabilis Vacare scilicet
et videre quam suavis est deus qui
in primo gradu exercitatus in secundo
circumspectus in tercio deuotus in quarto
supra se eleuatus est per hiis ascensiones
quas in corde disponit ascendit
de virtute in virtutem donec videat
deum deorum in syon In leccione enim
studio beati mundo corde quoniam ipsi
deum videbunt ecce breve verbum
sed suavis et multiplici sensu
refertum ad pastum anime quasi uvam
ministraverit quam postquam anima
diligenter inspexerit dicit intra
se potest hic aliquid bonum esse redeam
ad cor meum et temptabo si
inuenire potero et intelligere
hanc mundiciam preciosa enim et
delectabilis res est ista cuius pos
sessores hinc dicuntur cum visio dei
que est vita eterna promittitur
que tot testimoniis sacre scripture
collaudatur Hoc ergo sibi plenius

explicata desiderantis incipit hic
vini ~~[struck]~~ masticare et frangere eam qui
in torculari ponit dum excitat racionem
ad inquirendum que sit et quomodo haberi
possit hec adeo preciosa mundicia
accedens ergo secundum meditacio non
remanet extra non hec in superficie
alicuius figit pedem interiora pene
trat secreta singula rimatur. Atten
de considerat quod non dixit beati mundo
corpore sed mundo corde quia non suf
ficit manus ab opere habere mundas innoxi
as nisi et spiritualibus cogitacionibus
mundemur in mente. Quis enim
ascendit in montem domini aut quis sta
bit in loco sancto eius innocens ma
nibus et mundo corde. Item conside
rat quantum hanc mundiciam desi
derabat idem propheta hic orans Cor
mundum crea in me et iterum
Iniquitatem si aspexi in corde meo
non exaudiet dominus. Cogitat quantum
sollicitus erat in hac custodia
beatus Iob qui dicit pepigi fedus
cum oculis meis ne cogitarem de virgine
Scit quantum arctabat se vir sanctus
qui claudebat oculos suos ne vide
ret vanitatem ne incautus aspiceret
quod postea invitus amaret. Postquam
et huiusmodi de cordis mundicia
determinavit incipit cogitare de
eius premio quam gloriosum et delectabi
le esset videre faciem desidera
tam domini speciosum forma pre filiis

hominum non tam abiectum et vilem non
habentem speciem qui vestiunt cum mater sua sed
stola immortalitatis induunt et coronant
diademate quo coronavit eum pater suus
in die resurreccionis et glorie die quam
fecit dominus. Cogitat quod in illa visione erit
sacietas de qua dicit propheta Saciabor
cum apparuerit gloria tua. Videt quantum
liquoris manavit ex minima vini gutta
ignis ex hac scintilla exortus est quantum huius
modica massa beati mundo corde incude
meditacionis extensa est huius anime
fervoribus inflammata huius mundicie
desideriis fracto alabastro unguenti
presentire incipit mundum gustu sed quasi
nardum odoratum. Et ex hoc colligit quod
summe esset huius mundicie sentire experi
enciam cuius meditacione adeo novit et
iocundum. Sed quid faciet huius desiderio
estuat sed non invenit aput se quomodo
haberi possit et quanto inquirit plus
sitit dum apponit meditacionem apponit
et dolorem quia non sentit dulcedinem
quam in cordis mundicia meditacio eius
monstravit sed non prestat. Non est enim
legentis neque meditantis sentire
dulcedinem sed quibus datum fuerit de
super legere enim et meditari tam bo
nis quam malis commune est. Et ipsi philosophi
gentium in quo summa veri boni consiste
ret invenerunt ductu racionis sed quia
cum deum cognovissent non sicut deum
glorificaverunt aut gracias egerunt

et desine vivibus plurimentes dicebant ling-
wam nostram magnificabimus labia nostra
a nobis sunt non meruerunt perpe quod po-
tuerunt videre sed erunuerunt in con
cupiscenciis suis et eorum sapiencia devo-
rata est quantum eis contulerat superne
studium discipline non spiritus sapiencie qui solus
dat verum sapiam sapidam scilicet scienciam
que animam mea inestimabili sapore
iocundat et [illegible] reficit de quo dicitur
in malivolam animam non introibit spiritus
sapiencie hec autem a solo deo est et sicut
officium baptizandi dominus concessit
multis potestatem vero et auctoritatem
in baptismo dimittendi peccata sibi soli
servavit Unde Iohannes a deo missus et
discretus deo dixit hic est qui bapti-
zat et deos possit dicere hic est qui
sapiencie dat saporem et sapidam anime
facit scienciam Sermo quidem datur
multis talis sapiencia paucis quam distri-
buit deus cui vult et quando vult Videns
autem anima quod desiderium cognicionis
et experiencie dulcedinem per se non possit
attingere et quanto ardor altius ac-
ceditur tanto magis exaltatur deus
humiliat se confugit ad oracionem dicens
Domine qui non videris nisi a mundis
cordibus investigavi legendo medi-
tando que sit et quomodo haberi pos-
sit vera cordis mundicia ut ea vel
ex modica parte possem te cognoscere
Quesivi vultum tuum domine vultum tuum

domine quesivi et diu in corde meo
meditatum sit et in meditacione
mea exarsit ignis et desiderium
cognoscendi te domine panem sacre
scripture in frangis In fraccione
autem panis magis cognitus es
et quantum plus te cognosco plus
te cognoscere desidero non tamen
in cortice littere sed in sensu experi-
encie non hec peto domine propter me-
rita mea sed propter gratiam tuam fateor
quod indigna peccatrix sum sed catelli
edunt de micis que cadunt de
mensa domini sui Hiis et huiusmodi
desideriis inflammat affectum
et accendit desiderium hiis incan-
tacionibus adducit sponsum sed dominus
autem cuius oculi sunt super iustos
et aures eius ad preces eorum
non expectat donec sermones
finierint sed mediacionem
oracionis interrumpens cursum
festinus se ingerit et anime
desideranti festinus occurrit
celestis rore dulcedinis caput
fusus unguentis optimis deli-
butus animam fatigatam re-
creat esurientem reficit aridam
impinguat facit eam terreno-
rum oblivisci in memoria sui mi-
rabiliter mortificando vivifi-

cando vivificans et inebriando
sobrium reddens et sicut illis car-
nalibus officiis adeo vincitur
homo carnali concupiscencia quod
omnem usum racionis amittit et homo
fit quasi totus carnalis ita merito
in hac superna contemplacione ita
sumitur et absorbetur carnalis motus
ab anima ut caro in nullo spiritui
contradicat et fiat quasi totus
spiritualis. Sed audi quomodo competenter
quam hec fiunt et quod signum adventus
tui. Nunquam huius consolacionis et le-
ticie nuncii et testes sunt suspiria
et lacrime. Sed ipsa est novum sacra-
mentalis et significacio invisibilia.
Que enim convencio consolacionis ad
suspiria leticie ad lacrimas si tamen
iste dicende sunt lacrime et non
pocius roris interioris desuper
infusi superfluens habundancia
ad interioris hominis ablucionem et de
ad exterioris hominis purgamen-
tum ut sicut in baptismo parvulo-
rum per exteriorem ablucionem
figuratur et significatur interior
anime ablucio ita hic exteriori
ablucione interior precessit pur-
gacio. O felices lacrime per quas
peccatorum incendia extinguuntur.
Beati qui sic lugetis quia ridebitis.
In hiis lacrimis agnosce anima
sponsum tuum. Hiis inebriare. Hec sunt
miranda munuscula et solacia que tibi
transmittit sponsus gemitus s. et lacrime.
Sed audi si adeo dulces sunt lacrime
iste que ex memoria et desiderio tui
excitantur quam dulce erit gaudium
quod ex manifesta tui visione capietur.
Sed quid huius alloquii secreta proferimus
in publicum cur inenarrabiles affectus
verbis quibus conamur exprimere inexperi-
talia non intelligunt. Sed qui ea expres-
sius legerent in libro experiencie eos
ipsa doceat unccio aliter littera exteri-
ora non prodest legenti. Modicum sapida est
hec exterioris leccio nisi glosam et
interiorem sensum sumat ex corde.
O anima protraximus sermonem
nostrum. Bonum enim erat nos hic esse
et cum petro et Johanne contemplari
gloriam sponsi et diu manere cum
illo. Si vellet hic fieri duo non
tria tabernacula sed unum in quo
simul essemus simul delectaremur.
Sed dicit sponsus dimitte me iam
enim ascendit aurora iam lucem gracie
et visitacionis quam desiderabas
accepisti. Dans ergo benediccionem mor-
tuo nervo femoris et mutato nomine
meo in israel paulisper recedit sponsus
diu desideratus. Ergo elapsus subtrahit
se quantum ad presentem visionem quantum
ad contemplacionis dulcedinem et

et maneat tibi plenis gratiis ad guberna-
cionem gratia ad iuvandum gratia ad monendum
Sed ne timeas o sponsa ne spes necessi-
tas te contempni sed paulisper subtrahit
a te sponsus faciem suam omnia ita
cooperantur tibi in bonum et de accessu et
de recessu lucrum acquiris tibi venit
tibi cum recedit venit ad consolacionem
recedit ad cautelam ne magnitudo
revelacionis extollat te ne si sit
semper apud te sponsus incipias eum
contempnere sodales et in continuam
visitacionem non iam tribuas gratie sed
nature hanc autem graciam cui vult
et cui vult sponsus attribuit non quod
iure hereditario possideatur vulgare
verbum est nimia familiaritas pa-
rit contemptum. Recedit ergo forte ne
nimis assiduus contempnatur ut absens
magis desideretur desideratus avidius
queratur diu quesitus tandem gracius
inveniatur preterea si nunquam deesset
solacium hic contemplacio quereretur
future glorie que revelabitur in nobis
enigmatica est et ex parte putaremus
nos habere hic manentem civitatem
et minus inquireremus futuram. Ne
ergo reputemus exilium patriam aut
precium summam venit sponsus vicissim
et recedit nunc consolacionem affe-
rens nunc et universum statum

cum infirmitate commutans pauli-
sper permittit nos gustare quam
suavis est dominus et antequam plene sen-
ciamus subtrahit se et ita quasi
expansis super nos alis volitans
provocat nos ad volandum q. d. parum
gustastis quam suavis et dulcis sum
si vultis plene saciari hac dulcedi-
ne currite post me in odore un-
guentorum meorum habete sursum corda
ubi ego sum ad dexteram patris ubi
non videbitis per speculum in enigma-
te sed facie ad faciem et plene gau-
debit cor vestrum et gaudium vestrum
nemo tollet a vobis. Sed cave
tibi o sponsa quoniam absentat se spon-
sus non longe abibit et si non vi-
des eum ipse tamen videt te plenus est
oculis ante et retro nunquam potes
eum latere habet circa te nuncios
spirituales q. [illegible] sagacissimos
exploratores ut videant quomodo
absente sponso converseris et accu-
sent te coram ipso si aliquam lascivie
et scurrilitatis in te deprehenderint
Zelotipus est sponsus iste si forte
alium amatorem receperis si aliis magis
placere studueris statim discedet
a te et aliis adolescentulis adhe-
rebit delicatus est sponsus iste

nobilis et dives et speciosus forma
pre filiis hominum et ideo non nisi speci-
osam dignatur habere sponsam si viderit
in te maculam si rugam statim
avertet oculos suos nullas enim
potest inmundicias sustinere esto
ergo casta esto verecunda esto
humilis ut sic a sponso tuo merea-
ris frequenter visitari Timeo ne
dicens detinuerit sermo iste sed
adhuc convenit michi in fertilis pro
et dulcis quam ego non pertractabam
sponsus meus sed nescio qua eius
dulcedine trahar in virtus dulce
est et indicibilis suavitatis vel
admodicum in supremo gaudio maneat
Sed caveat sibi sponsa ne post con-
templacionem qua elevata fuerit
usque ad celos inordinatum casum ca-
dat usque ad abyssos nec post factam
dei visionem ad lascivias mundi ac-
tus et omnes illecebras conver-
tatur Cum vero mentis humane
acies infirmata luminis illu-
stracione diucius sustinere non
poterit aliquem tantum gradum
per quos ascenderit leniter et
ordinate descendat et alter-
nato modo in ymo modo in alto
per motum liberi arbitrii pro ne-
loci et temporis demoretur tanto enim
deo vicinior quanto a primo gradu
remocior Sunt autem quatuor omnia
que retrahunt nos ab istis gradibus
incurabilis necessitas honeste accionis
utilitas humana infirmitas et mun-
dialis vanitas prima excusabilis secunda
tollerabilis tercia miserabilis quarta
culpabilis et vere culpabilis illis enim
quos huiusmodi enim ab eo proposito re-
traxit melius erat graciam dei non
cognoscere quam post conversionem
retrorsum queri causam cum excommuni-
cacione habebunt de ipso peccato Nonne
enim ipse poterit ei dicere deus Quod
debui tibi facere et non feci Non
cavi et creavi te peccantem et diaboli
servum te feceras et redemi te in
mundi circuitu cum impiis currebas
et elegi te desiderium tibi gratie in
conspectu meo et volebam facere
apud te mansionem tu vero despex-
isti me tu non solum sermones meos
sed me ipsum proiecisti retrorsum et
ambulasti post concupiscencias tuas
Sed o bone deus suavis et mitis
amicus dulcis consiliarius prudens
adiutor fortis quam inmanis quam
temerarius qui te abicit qui tam
humilem et tam mansuetum a suo
corde repellit O quam infelix et

dampnosi commutatores creatorem suum
abicere et primus noxiasque cogita-
ciones recipe. Illud est secretum spon-
si et cubile secretum s. cordis quod paulo
ante celestibus gaudiis intendebat tum
subito immundis cogitacionibus et poetis
tradere conculcandum. Alii in eodem
essent sponsi vestigia et iam introe-
mittunt adulterina desideria male-
quentes indecorum est autem quemadmodum
audierint verba que non licet homini
loqui tam cito inclinari ad fabulas
et derisiones audiendas. Sed si
aliqua nostra relabimur et infir-
mitate humana recurrimus ad cle-
menciam medici qui suscitat de terra
inopem et de stercore erigens pau-
perem et ipse curabit et salvabit
nos. Oremus ergo ut huiusmodi et
alia impedimenta auferat a nobis
amen amen amen

Explicit tractatus de quatuor
spiritualibus gradibus amen